

luerit, facile munus gratie impetrat, vineula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum nulla fiducia portae caeli aperiantur, et veluti Regina intrante nullus custodum qui assistunt, audeat dicere: Que es tu? Vel unde? Sed omnes eam e regione suspiciunt. » Ad hanc proinde eleemosynam excitandi Auditores illis S. Tobiae c. iv. verbis: « Quantum poteris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundantius tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Coronat Deus voluntatem, inquit S. Augustinus in Ps. ciii. ubi non invenit facultatem; nemo dicat: Non habeo, charitas de saeculo non erogatur. » Claudatur postea exhortatio ostendendo; quod implenda suo tempore sit altera pars sententiae citatae: Et haec probe exorabit ab omni malo, nempe peccati, infirmitatis, infortunii, male mortis, purgatorii. Vide in *der beysame kurtzweil* fol. 52. ubi in fine junguntur duo versus, qui pro epologo adhiberi possunt. Nempe:

» Secht wie die Flammen schlagenaus;
Ach durch Allmosen heft uns draus! »

VIII. Ex occasione thematis: *Tollens autem Respha filii Aia cilicium; substravit sibi supra petram ab initio mensis, donec stillaret aqua super eos de caelo, et non dimisit aves lacere eos per diem, neque bestias per noctem* II. REG. XXI. ostendi potest, quomodo ultimam charitatis officium defuncto praestari debeat; quid enim per suspensos filios Saulis aliud intelligitur, inquit Thomas Cantipratanus lib. II. Apum, nisi animae in purgatorio ex cruciate. Has Respha, id est, fidelis amicus juvare debet vigiliis, vel labore initio mensis, hoc est, defectus vite in morientibus, secundum quod Eccl. cap. XXII. dicitur: *Super mortuum plora; deficit enim lux ejus*. Has ab avibus et bestiis, hoc est, tortoribus Daemonibus lacerari non sinas exorando suppliciter Deum, nec a laboribus cesses, donec stillat aqua de caelo super infectos et pietate divina eas confidas liberatas. Ita ille. Unde applicatio facilis ad defunctum, tantoque magis impelli possunt ad hoc obsequium Auditores, quanto magis eidem quocumque titulo conjuncti extiterunt.

IX. Ex occasione thematis: *Scitote, quoniam exaudivit Dominus preces vestras: si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini*. JUD. IV. dici po-

test, videri animas purgantes similes illi lunatico, de quo MATTH. c. XVII. ait, quod Pater cum Christo offerens dixerit: « Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur, nam saepe cadit in ignem et crebro cadit in aquam. Et obtuli eum Discipulis tuis, et non poterunt eum curare. » Nam et haec animae utique graviter cruciantur, et in ignem vehementissimum, et aquam profundissimam tribulationum ceciderunt. Unde clamant cum S. Davide Ps. LXXIII: « Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam: veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me: laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae. » Et si vero etiam multis interdum offerantur liberanda per orationes; non possunt tamen eas liberare, quia hoc genus Daemoniorum non eicitur, nisi in oratione, et jejuniis, praecipue generali sive abstinentia a peccatis. Hinc de filio quodam in Spec. Exemp. V. Defuncti, legitur, qui triginta annis pro patre defuncto constanter oraverat, nec tamen eum liberare poterat, quia semper in peccato mortali preces offerebat. Ergo curandum, ut Deus dicere possit, quod Daniell c. x. dixerat olim: « Ex quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. » Ostendendus proinde modus afflictionis variae, spiritualis scilicet, per abstinentiam a peccato, et vindicta inimicorum compressionem inordinatorum desideriorum; et corporalis per abstinentiam, et patientiam in sufferendis miseriis corporalibus.

X. Ex occasione thematis: *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi et fructus ejus dulcis gutturi meo*. CANT. II. dici potest, etsi haec verba communiter ad Christum et Ecclesiam applicentur; merito tamen posse etiam animabus purgantibus applicari, ita ut ille quoque fateantur, se non modicum levamen aestus nimii ab auxiliatoribus sentire, fructumque eorum, quem de operibus suis, illis applicant, dulcem gutturi suo esse. Hinc ostendendum, quomodo quis fructum operum suorum pro animabus applicare possit, quantaque dulcedo seu solatium ex iis inanius redundatura sit. Vide *die beysame kurtzweil* fol. LXXVII. ubi reperies sequentes versus ad eundem finem factos.

« Nach Gottes Angesicht seuffzen wir,
Ach durch gute Werch maect auf die Thür! »

XI. Ex occasione thematis: *Facite vobis anteos de Mammona iniquitatis, utcum defeceritis, recipient vos in aeterna tabernacula*. LUC. VI. dici potest, per Mammonam iniquitatis recte intelligi posse indulgentias, quae animabus applicari possunt, haec enim vera Mammona iniquitatis dici queunt; quatenus sunt divitiae ad debita, per iniquitates contracta dissolvenda ordinata. Ostendatur proinde, quam efficax medium ad animas cito liberandas sint indulgentiae, praecipue plenariae. Demonstratur dein, quam frequentes occasiones habeant Auditores ad ejusmodi indulgentias defuncto applicandas, praesertim si sunt Congregationi Rosarii inscripti, quamque adeo multos amicos sibi facere possint per ejusmodi indulgentiarum applicationem. Vide *beysame kurtzweil* fol. 85.

XII. Ex occasione thematis: *Pater Abraham, misere mei, quia crucior in hac flamma*. LUC. XVI. ostendi potest, 1º Quam gravis et vehemens sit ignis purgatorii, ita ut secundum Caesarium Arelatensem hom. VII. durior sit, quam quod potest ponarum in hoc saeculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri: secundum S. Hieronymum, et aliorum sententiam sola diuturnitate ab infernali igne differat. 2º Ostendatur, quibus mediis extingui possit hic ignis, scilicet iisdem, quibus ignis materialis extingui solet, nempe aquis lacrymarum piarum et utilium, sanguine Christi copiose affuso, lacte, id est, B. Virginis patrocinio ipsius animabus impetrato, aut Reliquias Sacras, id est, pia Deoque grata opera in flammis projiciendo. Incitentur proin Aditores ad aliquid ex his mediis applicandum.

XIII. Ex occasione thematis: *Quis erit ex vobis homo, qui habet oream; et si ceciderit haec sabbatis in foveam, nonnetenebit et elevabit eam?* MATTH. XII. Dici potest, quam horrenda sit fovea, in quam inciderunt animae purgantes; ita ut merito claiment: « Foveam foveam animae meae; » et ex illa opem nostram invocent, sicut olim Joseph in cisterna constitutus. Cavendum itaque, ne, si petiant opem non feramus cum fratribus Joseph. GEN. XLII. « Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes agustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus. Idcirco venit super nos ista tribulatio. » Itaque ostendendum erit, quomodo animas ex hac fovea educere possimus, scilicet porrigendo scalam SS. Sacri-

ficii, per quam Deus descendit ad nos, et ad illum. 2º Funiculum Rosarii aut aliarum similium precum porrigendo. 3º Porrigendo manum per largitionem elemosynae. 4º Projiciendo arbores aut alias similes materias, uti fossae impleri et per ea aditus ad muros fieri solet. Quomodo etiam elephanti socios in foveam lapsos liberare dicuntur. Possunt autem per has arbores intelligi bona opera mortificationis, obedientiae, charitatis aut aliarum virtutum. Vide Fab. tr. de fest. in commem. Anim. eo. 6.

FONS V.

Ex impedimentis.

Ex hoc fonte etsi parcius sumenda sit materia per exhortationibus, utpote non adeo copiosa, tamen negligi non debet, cum multum prosit ad falsas opiniones de animarum statu emendandas.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Ipsae Satanas transfugatur sicut in Angelum lucis*. II. CON. XI. ostendi potest, quantopere Daemon conetur impedire liberationem animarum, eumque in finem recitari pulchra historia de S. Theobaldo Episcopo, qui triginta Missas ab anima petitas pro sui liberatione, nunc per fictitium incendium; nunc per discordiam inter cives conflictam; et tandem per ludicram civitatis oppugnationem a Sacrificio offerendo impedire conatus est, uti in Spec. Exemp. d. VIII. ex. LXIV. videre est. Exponenda ergo similia impedimenta, scilicet amor proprii commodi, amor amicorum; et amor peccatorum in periculo suae salutis existentium, quae proinde omnia impedimenta ut Auditores fortiter rejiciant, animandi erunt. Vide *die beysame kurtzweil*.

II. Ex occasione thematis: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero suae detrimentum patiar?* MATTH. XVI. dici potest, hunc esse potissimum astum, quo Daemon multos illaqueat, et ab auxilio animabus ferendo impedire conatur. Quod scilicet charitas a se ipso incipiat: quod nemo bonus sit, qui sibi nequam est. Unde ostendendum primo, quod non agant contra charitatem, quia juvando animas, certius, abundantius, et citius salutem consequuntur, quam si omnes vires ad seipsos juvandos converterent, uti fuis-

sime et solidissime P. Jacobus Monfort. in tract. demiser. animabus præstanda ostendit.

Probetur 2^o Quod potius agat contra charitatem ordinatam erga se, qui non impedit operum suorum fructum ad animas juvandas, eo quod se inexplicabili illa majori gloria per totam æternitatem fruenda privet. Vide *beysame Kurtzweil* fol. 250.

III. Ex occasione thematis: *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Ps. CXLIV. dici potest, etiam ex hoc capite multos non parum ab auxilio defunctis ferendo impediri, quod, sicut Reges et Principes hujus mundi non libenter habent, ut quis per intercessionem suam viam Justitiæ suæ impediatur, ita et Deus tanto ægrius sit laturus, si quis justitiæ suæ cursum impedire conetur, quanto justus et sapientius ipse eam pœnam decrevit. Itaque solide refutetur hæc oblectio, ostendaturque Deum non hæc oblectio, ostendaturque Deum esse tenerrime amatem suos filios; non justum duntaxat, sed etiam misericordem infinite, atque adeo vel maxime desiderare, ut per opera nostra et auxilia justitiæ ipsius satisfiat vel per intercessionem varias ira ejus placetur. Serviet hunc in finem exemplum Saulis I. REG. XIV. Jonatham filium suum quidem ad mortem damnati, sed tamen per populi preces ab eadem liberati, vide *beysame Kurtzweil*, fol. 249.

IV. Ex occasione thematis: *Irani Domini portabo, quia peccavi, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum: seducet me in lucem, video justitiam ejus.* MIC. VII. dicendum, quod ipse animæ non desiderat liberari, sed justitiæ divinæ satisfacere. Hinc S. Gertrudis quondam vidit virginem quandam defunctam sponsi amplexum oblatum refugientem, eo quod nondum satis purgata esset. Sed refutari potest hæc oblectio, quod ex altera parte animæ etiam videant, Deum esse summe laudabilem, atque adeo perfectissime laudare et amare desiderent, id quod in purgatorio nondum præstare possunt. Præterea sciunt justitiæ divinæ etiam per aliena opera satisfieri posse. Et forte perfectius, quia per auxilium animabus præstitum, charitas insignis exercetur, atque adeo Deus copiose laudatur, et honoratur. Vide libellum cit. fol. 251.

V. Ex occasione thematis: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Ps. CXXVII. dici potest, per hanc defectioem merito posse intelligi decretum il-

lud, quod aliqui statuunt relicto animarum purgantium auxilio, omnes vires suas ad conversionem peccatorum convertere, eo quod illæ salutis suæ securæ: peccatores autem in manifesto æternæ damnationis periculo versentur. Itaque hæc oblectio, sicut una est ex potissimis auxiliis animarum impediendis, ita etiam solide refutanda est. 1^o Quidem exemplo Bertrandi, Dominicani pertinaciter contententis pro peccatoribus magis quam animabus purgantibus supplicandum esse, cui anima apparens suas pœnas, et committionem explicavit, facileque persuasit, ut deinceps a peccatoribus auxilium ad animas juvandas converteret. Deinde ostendatur, posse ea intentione animabus opera applicari, ut ipse pro peccatoribus orent, quod multo efficacius propter perfectionem precum suarum præstabit, quam ipsi viventis. Addi potest, quod peccatores media sufficientia habeant ad se juvandos, non item anime. Item quod adhuc fructum impetratorium de bonis suis operibus queant applicare. Vid. l. c. f. 255.

VI. Ex occasione thematis: *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.* ECCL. XX. ostendatur, non modicum esse fallaciam Dæmonis, quod ad inutilia charitatis officia defunctis præstanda impellat, ut ab utilibus impediatur. Inter quæ inutilia media merito numerantur immodicæ lacrymæ, quibus proprio potius amori et commodo servitur, quam defuncto levamen præstatur. Itaque ostendatur, modice plorandum. 1^o Quia defunctus requievit a malis liberatus juxta illud JOANN. II. *Lazarus amicus noster dormit.* 2^o Quia Deus illum dedit, iterumque abstulit. JOB. I. Sed si nec capillus de capite peribit sine voluntate patris, quanto minus integer homo. 3^o Quia parum juvant, sed potius impediunt, quem in finem narrari potest exemplum Davidis II. REG. XII. post mortem filii a luctu cessantis et dicentis: *Numquid potero reducere eum?* Item vidua, quæ immodice plorans vidit filium tardius, quam alios juvenes ad eorum properare, rogansque causam audivit, pallium suum immodicis lacrymis matris prægravari.

VII. Ex occasione thematis: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum, et respect Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* GEN. IV. dici potest simile quod contingere offerentibus opera sua pro animabus purgatorii, videlicet multorum opera parum grata esse Deo, et efficaciam ad

animas juvandas, eo quod non nisi vilissima, id est, vel omnino in peccato mortali, vel certe tepide et negligenter peracta offerant. Excitandi proin Auditores, ut potius Abelen imitentur adipem, per quam pura intentio et charitas designatur, de suis operibus offerentes, eumque in finem sibi firmiter persuadeant, se quod uni ex minimis præstant, ipsi Christo præstare. Quis autem Christo optima quæque offerre non studeat.

VIII. Ex occasione thematis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* MATH. XV. dici potest hoc plerumque post mortem verificari, quando scilicet plerique amici honorem quidem multum et magnum in funere deportando exhibent. Corde autem modicam dilectionem ostendant, dum vix quidquam agunt solide, quod animæ defuncti conducere ad levamen potest: ostendatur ergo et exaggeretur hic error per exemplum illius, qui Dominum suum in captivitate et miseriis relinqueret, et totam curam ad ipsum servum aut equum honorandum converteret; idem enim faciunt, qui suam totam curam in cadaver magnifice splendendum convertunt; nullam aut exiguum animæ curam gerunt. Porro deberent Auditores illa verba JOAN. XIII. velut ab ipso defuncto sibi dicta frequenter imaginari: *Filii mei, non diligamus verbo aut lingua, sed opere et veritate.* Nam ut recte S. Augustinus, *«pompa funebris, sumptuosa sepultura, et multitudo comitantium, vivorum sunt solatia, non adjutoria mortuorum.»*

IX. Ex occasione thematis: *Dicit piger, leo est in via, et leona itineribus.* PROV. XVI. dici potest, multos sibi, nescio quomodo difficilem imaginari animæ Redemptionem, eo quod audiant severissime omnia ad judicium revocari, et non dimitti animas, donec solvant novissimum quadrantem. Itaque refutandus hic error, partim per misericordiam Dei infinitam; partim per valorem et dignitatem operum ex charitate factorum; partim per multitudinem eorum, qui concurrunt ad animas liberandas: impossibile enim est multorum preces non exaudiri; partim quia Deus coronat voluntatem, ubi non invenit facultatem.

X. Ex occasione thematis: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* JOAN. XX. dici potest verendum esse, ne multi quoque sint hodie, qui audientes gravitatem et varietatem tormentorum Purgatorii explicari, audeant cum D. Thoma dicere: *Nisi videro, non credam.*

Quid mirum autem, si tales postea frigidè et languidi maneant in auxilio defunctis præstando. Itaque refutandi hi partim per consensus unanimum Doctorum; partim per rationes naturales v. g. gravitatem peccati venialis, aditusque similes circumstantias, de quibus videlicet potest Jacobus Montfordus in tr. de miser. anim. præstanda copiose et docte disserens.

XI. Ex occasione thematis: *Ut quid perditio hæc? Poterat enim unguentum istud venditari multo, et dari pauperibus.* MATH. XXVI. dici potest non immerito timendum esse, ne hodie quoque sint multi futuri, qui videntes tam multa opera animabus purgatorii offerri, dicant, ut quid perditio hæc? Annon enim defunctus confessus est, et communicavit? Annon bene vixit? Annon SS. Nomina Jesus et Mariæ ante obitum pronuntiavit, et sic Indulgentias plenarias lucratus est? Annon ergo merito supponi potest, eum recta ad caelos abiisse? Ut quid ergo perditio hæc operum nostrorum? Ad hanc itaque objectionem refutandam ostendatur, alia esse judicia Dei, quam hominum; afferantur varia exempla eorum, qui ob levissimas causas diu in purgatorio sunt cruciati. Probetur uno altero exemplo præcipue Franciscani, cui Sacrificia pro ipso oblata nil profuerunt, quia se negligentem præbuerat in simili obsequio et debito, dum viveret, præstando, non semper obtineri Indulgentias, vel alia media applicari; significetur denique, etsi mortuus non indigeret, tamen perinde gratum fore hoc officium charitatis a viventibus præstitum, atque si effectum habuisset.

XII. Ex occasione thematis: *est autem amicus et socius mensæ, non permanebit in die necessitatis.* LUC. VI. dici potest hanc sententiam, si unquam tempore mortis impleri, utpote in quo plerique sicut mortuum ex oculis, ita et ex animo dimittunt. Ita ut is vere clamare possit cum Davide PSAL. *Oblivioni sum datus tanquam mortuus a corde.* Unde Mefret. ser. n. de anim. dici talibus defunctis contingere id, quod ovis struthionis contingere solet; sicut enim struthio fovalem in arena facit, in ea que ova ponens solum operit, cumque ab his recesserit, statim obliviscitur, et nunquam ad ea redit, donec per calorem arenae ardore solis calefactæ pulli excludantur; tunc enim primum eos recolligere et nutrire incipit, sic amicum ponens defunctum in se-

pulchrum, statim cum post exequias deserunt, et non recordantur, nisi forte post longum tempus, quando jam ardore solis justitiae excoctus est, et purgatorio exiti. Nimirum recte Poeta dixit :

Donec eris felix (in vita) multos numerabis amicos.
Tempora si veniat nubila (post mortem) solus eris.

Itaque excitandi Auditores, ut non sint socii mense dumtaxat, sed etiam in die necessitatis permaneant, et amicitiam suam affectu et effectu tanto constantius ostendant, quanto accuratius defunctus leges amicitiae erga illos observavit.

FONS VI.

Ex epitaphiis.

Ex hoc fonte duplicis generis conceptus desumi possunt, scilicet communes pluribus, et proprii privatis personis; utriusque in hoc convenerunt, quod Exhortator pro exordio dicat, se pro more recepto epitaphium defuncto composuisse. Idque pro solatio et edificatione publice nunc propositurum, explicaturumque.

Itaque I. Ex occasione thematis : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare* II. *MACH. XII.* Dicere potest Exhortator se presenti defuncto brevis quidem epitaphium composuisse, sed quod multum in se materiam consideratione dignam continet, esse autem hujusmodi :

« Hic requiescens clamito,
Procesque supplex flagito. »

Id est :

« Hic leg ich, und schrey über sich,
Geb nicht flirber, bet für mich. »

In hoc epitaphio quatuor consideranda offerat. 1^o Particulam *Ich*, ubi faciat pulchrum antitheses. Ego prius tam formosus, nunc adeo deformis : prius ditissimus, nunc pauperissimus : prius nobilis, nunc abjectus : prius amabilis, omnibus nunc exosus ! sic nempe vanitas vanitatum, et omnia vanitas, nilque sub sole permanens. 2^o Particula *Lig*, ubi : non in lecto molli, ut olim, sed terra durissima; non in pretioso stragulo, sed tumba ignobili; non plumis teneris, sed vermibus et serpentibus immersus, secundum corpus; quoad animam vero ubi

jaceam, quomodo explicabo? Jaceo scilicet in mediis flammis, et tenebris, inexplicabilibus tormentis, horrendo Diemonum aspectu cruciata, omni memetipsam juveni virtute atque potentia privata, omni solatio ac refrigerio carens. Hinc clamo ad vos : *Schrey über sich*, et usurpo illa verba Jobi, c. XIX. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei* : qui tot beneficia a me accepistis : vos, qui tam sincero a me affectu semper amati fuistis : vos qui opem vestram in omni casu offerendam toties spondidistis : vos, qui amicitiae jura inviolata servaturis vos toties iactastis : vos, inquam, vos miseremini. Nunc enim tempus acceptabile, nunc dies salutis, imo necessitas; miseremini, quia non digitus Dei, quo minora ejus opera denotari solent; sed manus Domini, quo grandia illius opera significantur, tetigit me; itaque tetegit, ut vere de meis doloribus et tormentis illud S. Bern. ex parte usurpare possim. Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, expertus potest dicere, quid sit hic poenas luere.

3^o Sed forte queritis, quid petam? Aut quomodo misereri debeatis? Ah nolite timere: non multum petam; non peto, ut aurum, quod vobis tam charum est, expendatis : non peto, ut longas et molestas peregrinationes instituat: non peto, ut graves pro me labores assumatis : hoc unum peto : *Geb nicht flirber, bett für mich*. Quis tam tenue obsequium neget? Certe non immerito animae defunctae olim, dum duo Religiosi in cimiterio deambulantes nullam orationem pro iis obtulissent, conqueste sunt dicentes : Hi, qui praeirent, non dixerunt : Requiescant in pace. Cum vero fidem Religiosi rediissent, et dixissent : Ecce benediximus vobis : responderunt illi : Deus illum navavit vos; sed et S. Brigitta olim vocem animarum clamantem audivit : « Domine, da charitatem illis, qui potestatem spiritualem, ut magis participes fiamus orationum : da omnibus, qui nobis succurrunt, centuplem in hac vita. » Et sane non immerito has preces desiderant; quia ut Joan. Gerson l. I. de Defunctis docet, oratio pro mortuis semper habet suum effectum, quando sit pro illo, qui est in gratia, et eget satisfactione. Haec enim ex majori fide procedit, quam ea, quae fit pro viventibus. Hinc etiam animo tam copiose rependunt gratiam per ejusmodi preces factam, uti apparet in illo, quem toties, quoties cimiterium transibat; *Pater et Ave* pro

ipsis dicentem tam potenter ab hostibus eum in cimiterio occidere volentibus defendebant, uti in Spec. V. Defuncti, legitur. Itaque quis sibi dictum putet, illud PAOV. VI. « Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis in caelum respicientibus, ne dormiant palpebrae tuae. » Tunc implebitur illud TOMÆ XII. « Quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos et derelinquebas prandium tuum et mortuos abscondebas per diem in tua domo, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. »

II. Ex occasione thematis : *Statutum est hominibus semel mori*. HEB. IX. explicari potest sequens epitaphium :

HODIE MIHI.
GRAS TIBI.

Circa quod epitaphium duo possunt inculcari, 1^o *Mortis memoria*. Hinc Salomon Eccl. VII. « Melius est ire in domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cimiterium admonetur hominum, et vivens cogitat, quid futurum sit. » Et iterum Eccl. VII. « In omnibus operibus tuis memorare novissima, et in aeternum non peccabis. » Hinc et. Nec accepta secum in arcam Adami ossa post diluvium suis filiis in orbem dispersis pro salubri mortis memoria retinenda distribuit. Vide Pistorium *Im allgemeinen Klaghaus*, conc. xxxvii. et P. Drex. Prodr. c. I. §. 10. et seq. 2^o *Preparatio ad mortem* : quia, ut S. Aug. Epist. LXXX. ait : « In quo quemque invenerit suus novissimus dies; in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies : quoniam qualis in die illo quisque moritur, talis in die illo iudicabitur; » ostendatur ergo, optimam preparationem ad mortem esse optimam vitam. Vide Pist. l. c. conc. xxxv. Drex. in Prodr. c. III. §. 16. et 17. Thom. Kemp. l. I. c. xxxi. §. 6.

III. Ex occasione thematis : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* PAUL. I. explicari potest hoc breve epitaphium :

« Quo vadam, nescio.
Abire cupio.
Valete posthumi.
Brevi sequemini. »

Circa quod tria inculcanda. 1^o *Incertitudo salutis*; quia *nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit*. Eccl. IX. 2^o *Desiderium*

morienti propter tres praecipue causas, quia scilicet mortis est finis miseriarum, janua vitae, et solutio debiti universalis. Vide Drex. in Prodr. c. III. §. 12. Pistorium *Im Klaghaus* conc. xxxi. 3^o *Dispositio ad mortem* juxta illud ISAIAE XXXIII. *Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives*. Vid. Pistor. l. c. conc. xxxv. n. 6.

IV. Ex occasione thematis : *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*. MARTI. XXV. explicari potest sequens epitaphium :

« Sta Viator.
Haec mihi lapidea memoria posita,
Imo tibi, qui haec legis;
Quisquis es, vigila, dum vigilas,
Et in rem tuam mature propera.
Horas nemo scit. Vale. »

Circa quod tria inculcanda. 1^o *Incertitudo mortis*, de qua recte S. Jacobus Apost. cap. IV. « Ecce nunc, qui dicitis, hodie aut crastino die ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus, qui ignoratis, qui erit in crastino. Quae est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur : pro eo ut dicatis : si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc aut illud. » Vide Drex. in Prodr. c. I. §. 19, 20. Thom. Kemp. l. I. c. xxxi. §. 2 et 7. 2^o *Vigilantia*, nam ut S. Greg. l. XII. moral. ait : « Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque mortis esse incognitum, ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur. Et tanto quis ferventior sit in operatione; quanto et incertus dies de vocatione : ut, dum incerti sumus quando moriemur, semper ad mortem parati debeamus venire; sic enim, ut idem in homil. sint lumbi, ait : « Mors ipsa, cum venerit, vincitur; si prius, quam veniat, semper timeatur. » Vide Drex. in Prodr. cap. I. §. 28 et 37. Thom. Kemp. l. c. LXIII. et LXIV. 3^o *Preparatio futurorum honorum*, juxta sapientissimum Salomonis, Eccl. c. IX. monitum : « Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Vide Drex. l. c. §. ult. et c. xxv. §. 2.

V. Ex occasione thematis : *Magnus dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit illum?* JOEL. II. explicari potest hoc epitaphium :

« Quid agam hic,
Quæris Viator?
Diem ire,
Calamitatis et miseriae,
Diem magnam et anaram
Valde ego exspecto.
Tu cogita,
Et time. »

Circa quod duo inculcanda. Primo *Judicii divini severitas*, de quo S. Job. c. ix. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*. Potest etiam comparari iudicium cum examine studiosorum pro ascensu, dici- que tanto magis timendum esse, hoc iudicium, quanto optatior est locus, ad quem ascendunt, qui bene steterint. Et quanto miserior est locus, ad quem detruduntur, qui in hoc examine fuerint rejecti. 2^o *Præparatio solida ad hoc examen, quæ consistit in hoc, ut bene componamus nomen cum verbo, id est, nostram eam divina voluntate: « Non enim adveniente die iudicii quaeretur a nobis, quid legimus, sed quid fecimus: nec quam bene diximus, sed quam bene viximus. »* Vide Drex. in trib. l. II. c. ix et x. Item l. I. c. v. Thom. Kemp. l. I. c. iv. § 4. 2. et 7.

VI. Ex occasione thematis: *In omnibus operibus tuis memorare novissima, et in æternum non peccabis* Eccl. vii. explicari potest hoc epitaphium:

« Utinam saperes, Viator,
et intelligeres,
et novissima provideres. »

Circa quod explicari potest, quam efficax medium ad peccata vilanda sit cogitatio frequens novissimorum, et præcipue mortis, a qua reliqua omnia suam vel felicitatem, vel infelicitatem desumunt. Certe hanc ob causam Christus nulli a se resuscitato monitum aliquod (quemadmodum aliis a se sanatis dederat) reliquit, eo quod pro Domino ipse mortis effectus (ut S. Aug. putat) fuerit locutus. Sed et S. Paulus cum in civitate Troade Eutychem per fenestras cecidisset, statim sermonem abruptit, quia ut S. Chrysost. ait, ipse casus pro doctore fuit. Vide plura et erudita apud Pistor. *Im Klaghauss.* Conc. xxxvii. et Drex. in prodr. c. i. § 2. 3. et 39.

VII. Ex occasione thematis: *Ibit homo in domum æternitatis sue, et circumibunt in terra*

plangentes. Eccl. xii. Proponi fructuose, et explicari sequens epitaphium poterit:

« Siste, Viator et audi.
Momentum, unde pendet æternitas;
Ah quanti momenti sit istud momentum,
Rite perpende. »

Circa quod imprimis breviter explicetur, quid sit, et quam longa ac tremenda æternitas. Deinde, quomodo hæc æternitas ab unico momento, videlicet supremo vite articulo dependeat, ostendatur; et tandem subinferratur, quantam curam et sollicitudinem merito quisque gerere debeat, ut, cum nesciat, quando hoc momentum illo xerit, quovis momento paratus sit ad momentum hoc bene finiendum; nam, ut S. Augustinus de discipl. Christ. recte dixit: « Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies; sero parantur remedia, cum mortis imminet pericula. » Demonstretur denique, quomodo, et quam studiose hoc momentum defunctus observavit.

VIII. Ex occasione thematis: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. MATH. xxv. explicari potest hoc epitaphium:

« Ut quid diligis vanitatem et mendaciam,
O Viator,
Momentaneum est, quod delectat:
Æternum, quod cruciat. »

Circa quod explicari potest imprimis quam vere omnis nostra vita æternitati comparata non nisi momentum dici queat, id quod etiam S. Augustinus Ps. xxxvi. egregie ostendit, dum ait: « Quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, millia, millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. » Ex quo inferatur, quam stulte agat, qui delicias hoc unico momento percipiendas æternis tormentis mercatur, id quod eleganter S. Chrys. hom. xx. ad Populum hæc similitudine ostendit: « Si quis intra centum annos una solum nocte suave, lætumque somnium vidisset, et centenis ob id annis puniretur, an appetendum hoc somnium foret? Quod autem est somnium ad centum annos, hoc est, præsens vita ad futuram, imo multo minus, et quod est gutta ad pelagus, hoc anni multi sunt ad futuram æternitatem. » Unde suadendum, ut omnes Fulconis exemplum sequantur, qui, cum quadam nocte dormire non potuisset, cogitare secum cepit: si hic in lecto molli

iacenti, absque alio dolore, tam molesta nihilominus est cubatio, quantopere cruciabor, si in lecto igneo æternum jacere cogar? Itaque per hanc cogitationem mutatus est, ut mox vanitatibus mundanis valedicens, Cisterciensium Congregationi nomen dederit. Recte igitur S. Augustinus apud Drexelium c. vi. de ætern. dixit: « Melior est modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in visceribus. » Ostendatur denique, quomodo hæc doctrinam defunctus observavit.

IX. Ex occasione thematis: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. MATH. xxv. explicari potest sequens epitaphium:

« Quid stas otiosus, o Viator?
Quodcumque facere potest manus
Tua, instanter operare:
Æternitati laboras. »

Circa quod narrari imprimis potest, quid Zeuxes pictor celeberrimus quaerenti, cur tanta diligentia suas picturas perficeret, responderit, nempe: « Diu pingo, quia æternitati pingo; » dein inferatur, quanto verius hoc quisvis homo de suis bonis operibus dicere queat, utpote quibus mercedem æternam et inexplicabilem paratam esse novit; quam æquum proinde sit, ut omnia sua opera cum magna diligentia perficiat, semper in mente habens æternitatem, dicensque: *Æternitati laboro*. Quam item nullum laborem aut difficultatem in suis operibus occurrentem horrere, aut fugere debeat, cum vere S. Hieronym. apud Drex. de ætern. c. vi. dixerit: « Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis accipitur. » Itaque quisvis in tali casu sibi occinat: *Momentaneum, quod cruciat, æternum quod delectat*. Quæ omnia, quomodo defunctus inter opera sua tam præclara, inter labores tam multos et difficiles, et inter tam graves observaverit, breviter declarentur.

X. Ex occasione thematis: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum*. II. Cor. v. explicari potest epitaphium a Siracide c. xxxviii. compositum.

« O Viator,
Memor esto iudicii mei.
Sic enim erit et tuum.
Vale, et vive,
Ut vivas. »

Tonus V.

Circa quod duo inculcari possunt, nempe 1^o *Mortis et iudicii certitudo* (quoad substantiam) et incertitudo (quoad temporis circumstantiam). Nam ut recte S. Bernardus de Convers. ad Clericos c. xiv. ait: « Quid in rebus humanis certius morte? Quid hora mortis, incertius invenitur? Senibus quidem in januis, adolescentibus in insidiis est. » Vide Drexel. in prodr. cap. i. § 44. 49. 2^o *Observatio doctrine a sapientibus data: Fac modo, quæ moriens facta fuisse velis*. Vide Drexel. loc. cit. § 42 et 46. et Thom. Kemp. l. I. c. xxiii. §. 4. et 8.

PRO INFANTE.

XI. Ex occasione thematis: *Paravit Deus vermen in ascensu diluiculi in crastinum, et percussit hederam, et exaruit* JOH. c. iv. proponi et explicari potest hoc brevissimum, sed saluberrimum epitaphium:

« Ne mirare,
Viator,
Dum aridum hoc cadaver aspicias.
Hedera Jonæ fuit.
Vale, et vide,
Cui fidas, et adhaereas. »

Circa quod dici potest in sepulchrali cruce infantem mortuum pictum esse, qui sub umbra hedere recumbat, et si placet, in epitaphio loco nominis Jonæ, nomen parentis substitui potest, simulque duo inculcari. 1^o *Fragilitas spei humanae*, quæ pulchre declarari potest per comparationem illius cum hedera Jonæ, quæ subito ipsi gaudium magnum, iterumque summam tristitiam creavit. Vide Drex. in Joan. et in prodr. c. i. §. 8. 2. *Adhesio et unio cum Deo, juxta illud* PSAL. lxxii. *Mihi autem adhaerere Deum bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam*.

Aliud.

XII. Ex occasione thematis: *Quasi flos rosarum in diebus vernis*. Eccl. l. proponi et explicari potest pulcherrimum hoc Epitaphium:

« Quid miraris,
Viator,
Tam cito extabuisse me?
Rosa fui.
Tu, si diu florere cupis,
Amaranthus esto. »

31

Circa quod imprimis narrari potest fabula, quam P. Drex. in Prodro. cap. 1. § 34. narrat in hunc modum.

Amaranthus Rose aditus dixit: « O qualis flos rosa, quam formosus, quam amabilis beatam de jure dixerim, ob odorem, formam, et ob colorem. O Regina florum! » Cui Rosa: « Ego quidem, inquit, o Amaranthe, forma prænitio, sed tempus brevissimum vivo; et quamvis nulla me violet, nihilominus tabesco. Malim ego minus habere formæ, et plus vitæ. » Ex qua narratione duæ doctrinæ eliciendæ. 1^o Quam parum vitæ huic fragili confidendum, ut de qua recte dixerit Job c. xiv. *Homo quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra.* 2^o Quam prudenter et merito proinde alia vita, scilicet æterna querenda sit, ut de qua sola vera, jucunda, et æterna vita est.

PRO JUVENE.

XIII. Ex occasione thematis: *Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juvenis celerius consummata longam vitam injusti.* SAP. IV. explicari potest sequens epitaphium:

« Sta Viator,
Et obstupesce:
Juvenis,
Qui, quamdiu voluit, vixit,
Hic sepultus est
Annon rarum miraculum?
Imitari potes,
Si placet.
VALE. »

Circa quod duo principia bene inculcanda. 1^o Non longissima, sed honestissima vita optima; nam bonum est in temporis diuturnitate situm sed in virtute; neque enim, qui cithara diu lusit, sed qui bene, commendatur. Vide Drex. in Prodr. cap. 1. § 35. 36. et cap. III. §. 3. 2^o Quisquis voluit, diu vixit. Annon enim diu locutus est, qui paucis verbis persuasit? Annon satis euecurrit, qui palmam obtinuit? Annon satis navigavit, qui in portum feliciter pervenit? Vide Drex. l. c. 1. § 24.

Aliud.

XIV. Ex occasione thematis: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenderit in*

vitro color ejus. PAOV. XXII. explicari potest sequens epitaphium:

« Eheu dissilii,
Corporis et animæ facta
Separatione.
Sed quid mirandum?
Vitrum fragile fui;
Cavete juvenes,
Et vos thesaurum vestrum in
Vasis fictilibus
Portatis. »

Circa quod duo monita salutaria inculcari possunt. 1^o Non esse mirandum, si Deus interdum juvenes mori ante tempus sinat, quia ex materia fragili æque, viri ac senes compositi sunt; et præterea Deus facit, ut Colibis Rex Thracie, qui ne vitra occasio iræ, aut furoris essent, si frangerentur, prius illa frangi jussit. Vide Pistor. in *Klagaus.* conc. VI. n. III. II. Admonendi juvenes, ut sapiant hoc exemplo, et sibi in futurum prospiciant, meminerintque, sibi contingere, quod Nobilibus cuidam per tria vitra se ipsis rupta de morte admonito evenit. Vide apud Pistorium.

XV. Ex occasione thematis: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* LUC. XXII. explicari potest hoc epitaphium:

« Sta Viator,
Et, si juvenis es,
Vel meo exemplo disce,
Morti non fidere.
Si decrepitis es,
Securim jam ad radicem positam
TIME.
Si enim in viridi ligno hæc faciunt,
In arido quid fiet? »

Circa quod duo specialiter inculcanda. 1^o Ne juvenes nimis secure vivant, quasi extra periculum mortis positi, sed potius meminerint proverbii communis, quo dicit solus: *Man tray eben soviel Kalber-als Kübe-Ilaut auf den Mark.* Item quod juvenibus mors in insidiis esse dicatur, atque merito semper cautè vivere debeant. 2^o Ut senes meminerint mortem in januis esse, atque adeo ita se præparent, ut, cum venerit, et pulsaverit, statim aperiant illi.

Aliud.

XVI. Ex occasione thematis: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino pla-*

cuit, ita factum est. Job. 1. proponi potest hoc epitaphium:

« Quid amissum ploratis,
O parentes, et amici?
Depositum fui.
Quod suum erat, abstulit Deus.
Quiescite.
Raptus sum
Ne malitia mutaret intellectum meum,
Et animum vestrum. »

Circa quod duo specialiter inculcanda. 1^o *Conformitas cum divina voluntate.* Si meminerint parentes et amici, Deum esse plenissimum, et sapientissimum Dominum, atque adeo gravissimas habere causas, ob quas ejusmodi juvenem ex hac ad vitam meliorem transferre voluerit. 2^o *Gratulatio et gratiarum actio ob beneficium,* quod Deus per talem mortem juveni et parentibus exhibuit; dum ipsum a periculo damnationis, parentes vero a gravibus curis, incommodis et damnis per ejus mortem liberavit. Vide Pistor. conc. VI. III.

PRO VIRGINE.

XVII. Ex occasione thematis: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete.* LUC. XXIII. explicari potest hoc epitaphium:

« Cur inutiles lacrymas funditis,
O amici?
Non extinguatur his aquis flamma
Me crucians, sed augetur.
Nolite ergo flere super me,
Sed super vos ipsos flete. »

Circa quod duo iterum inculcanda. 1^o *Inutilitas lacrymarum,* quæ plerumque in talibus casibus profunduntur. Ad quem finem historia de matre filium deplorante, et per hoc ab ingressu colorum retardante, quæ supra jam est indicata, narrari poterit. 2^o *Delestatio et dolor de peccatis* circa tales liberos commissis, quibus sæpe parentes causam Deo dederunt, ut talem filiam eriperet.

Aliud.

XVIII. Ex occasione thematis: *Quid turbamini, et ploratis? Non est mortua puella,*

sed dormit. MARC. V. explicari potest sequens epitaphium:

« Quid turbamini et ploratis,
O parentes?
Non est mortua puella,
Sed dormit.
Ne ergo suscitatis, neque
Evigilare faciatis dilectam,
Donec Deus et ipsa velt.
Felicem interea noctem verbo, et facto
Apprecantes, dicite:
Requiescat in pace. »

Circa quod duo monita suggerenda. 1^o *Consolandi parentes* dicendo, quam merito sperare possint, dormire tantum filiam virginem, ob varia pietatis et virtutum exercitia, quibus beatam mortem merebatur. 2^o *Adhortandi videm parentes,* et alii Auditores, ne lacrymis suis inquietum filie somnum efficiant, sed potius, si somnus talis forte per pœnas, et visiones Purgatorii, turbatus est per varia pietatis, et misericordiæ opera, causas tales removere studeant. Vide Pistor. conc. VII.

PRO SACERDOTE.

XIX. Ex occasione thematis: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* NUM. XXIII. proponi potest epitaphium dignissimum, quod omnibus Sacerdotibus pro exemplari sepulchralis elogii proponatur:

« Siste gradum Viator,
Adm. R. Dominus N. N. Sacerdos
Et Parochus hic
Requiescit.
Qui vixit, ut dixit;
Obiit, ut vixit:
Vixit, ut obiit,
Id est:
In et cum Domino.
Aspice, et fac secundum exemplar. »

Circa quod duo potissimum commendanda. 1^o Quod talis Sacerdos memor moniti Servatoris: *Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet;* optimam preparationem ad mortem adhibuerit, vitam scilicet optimam et inculpatam, non ignarus videlicet communis proverbii: Sicut vita, mors ita; qualis mors, talis sors: *Wie dass*

End also d' Land. Nam ut recte S. August. l. I. de civ. dixit: « Mala mors putanda non est, quam bona vita precessit? Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. » Unde merito S. Bernard. epist. cv. hortatur: « Volo te mortem, etsi non effugere, certe vel non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit. » 2º Quod idem Sacerdos sicut dixit, et locutus est in cathedra, ita vixerit quoque, id est, exemplo etiam, quæ prædicaverat, comprobavit. Memor saluberrimæ doctrinæ a S. Laurentino Justin. l. de conflict. intem. data, dum ait: « Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, tibi persuaseris et prius cognoscearis; validior operis, quam oris vox est, fac, ut loqueris. » Non enim difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur. Ostendatur ergo per aliquot exempla, quomodo doctrinæ a se datas impleverit.

PRO VIRO HONORATO.

XX. Ex occasione thematis: *Cumque convertissem me ad universa opera, quæ fecerat manus mea, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi.* Eccl. II. potest proponi sequens epitaphium:

« Sta Viator,
Et quid de rebus mundanis
Sentias, ab experto disce.
Præter amare Deum,
Et illi soli servire. »

Circa quod duo præstanda. 1º Ostendendum, quam omnibus bonis mundi affluerit defunctus, ita ut jure cum Salomone l. c. dicere poterit: Magnificavi opera mea, etc. possedi servos et ancillas, armenta et boves, coacervavi aurum et argentum, etc., et tamen cum ad hæc omnia se convertisset, nihil nisi vanitatem. et afflictionem animi, maxime ob severam rationem reddendam, invenit. Nimirum recte dixit S. August. l. I. Conf. « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te; ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, inquit S. Bernardus, ceteris rebus occupari potest, repleti non potest; capacem quippe Dei, quidquid Deo minus est, replere non

potest; sicut nec vas triangulare a re figuram rotundam habente repleti potest. » 2º Demonstretur, quam vere dicatur, in solo amore Dei veram hominis felicitatem consistere, cum hic amor sit possessio Dei, atque adeo finis ultimus hominis; omnis autem rei felicitas in finis sui possessione consistat. Quare ostendatur, quomodo hunc finem secutus sit defunctus, et in usu suorum bonorum consilium S. Pauli I. Cor. vii. observaverit, suadentis, ut, qui utuntur hoc mundo, tamquam non utentes sint, eo quod præterea figura hujus mundi.

PRO DIVITE.

XXI. Ex occasione thematis: *Dives, cum dormierit, nil secum auferet.* Job. XXVII. proponi potest sequens epitaphium:

« Ut quid divitias in divitis
Sepulchro quæris, o viator.
Eheu! universas mors abstulit.
Tu, si sapis,
Easdem in cælum præmitte. »

Circa quod imprimis dici potest, quantas divitias sibi congregaverit defunctus, et quomodo eas uno momento mors abstulerit, siquæ verificaverit effatum Davidis Ps. LXXV. *Dormierunt somnum suum, et nil invenerunt omnes viri divitarum in manibus suis.* Unde merito Christus Martii. vi. hortatus est: *Nolite thesaurizare vobis thesaurus in terra,* etc. Et S. Paulus I. Tim. vi. « Divitiis hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. » Deinde ostendatur, quam bene et prudenter his divitiis usus sit defunctus, dum scilicet imprimis saluberrimum Psalmistæ Ps. LXXI. monitum observavit: *Dicitur si affluant, nolite cor apponere.* Dein vero etiam exemplum prudentis Regis secutus sit, de quo Barlaam in vita Josaphat refert, quod, cum adverteret, in regno suo consuetudinem esse, ut Rex non nisi unico anno regnare fineretur, et hoc finito in exilium mitteretur, intra hunc annum plerisque suas divitias in locum exilii præmiserit, in quem postea relegatus easdem cum gaudio invenit, et fructus est. Excitentur itaque Auditores, ut et ipsi opes suas terrenas per pauperum manus, aliosque pios usus præmittere in cælum studeant; de reliquo autem veras divitias congregare conentur, de quibus S. Bern. in s.

Sexag. dixit: « Vere divitiæ non opes, sed virtutes sunt, quas secum conscientia portat, ut in æternum dives fiat. »

PRO HONORATA MATRONA.

XXII. Ex occasione thematis: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Prov. XXXI. potest hoc epitaph. proponi:

« Sta viator,
Et formæ inconstantiam
Deformato cadavere agnosce.
Olim mariti delictum, formæ
Miraculum, Eheu! nunc esca
Sum vermium.
Sic nempe fallax gratia,
Et vana est pulchritudo;
Et sola mulier timens Deum
Laudabitur. »

Circa quod 1º Dicendum, quam rara pulchritudine et gratiæ venustate prædita fuerit defuncta; et quam parum illa ob talem dotem superbiat, memor, quod corpus etiam pulcherrimum nihil aliud sit, quam saccus stercoreum, et finis nive tectus. Id quod pulchre quondam Rex aliquis aulicis pulchritudinem corporis plus æquo admirantibus et prædicantibus ostendit, dum vas aliquod stercore refertum eleganter vestiri, faciendumque venustissimam imponi, postea vero aulicis iterum more suo tam raram venustatem laudantibus vestes auferri, et sic quid lateret, ostendi jussit. Unde merito Domitianus, teste Petrarca Dial. c. II. cuidam amico scribens: « Scias, inquit, nec gratius quidquam esse decore, nec brevius. » Quamquam, etiamsi durable, et perpetuum nature donum esset, non intelligo, quid tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multaque læda contengens, et horrenda, levissimæque cutis obtentu sensibus blandiens et illudens. 2º Ostendatur, quam prudenter hæc domina secuta sit Diogenis consilium, qui videns formosum adolescentem ob formæ gratiam amari, dixit illi: « Quin operam das, adolescenti, ut corporis amatores ad animam transferas. » Sed et Socratis consilium adjunxerit, Discipulis suis suadentis, ut speculum inspicerent, et si quidem pulchri viderentur, caverent, ne dignitatem corporis malis moribus lædarent. Id quod studiose illa observa-

verit, dum mentis puritati, in qua vera pulchritudo consistit, quæque auferri contra voluntatem non potest; ita studio, ut jure de ea dici poterit: Tota pulchra es, amica mea, et macula (præsertim deliberate admissa) non est in te. Excitentur proin Auditores ad eandem pulchritudinem amandam, et consilium S. Ambrosii sequendum l. I. de Virg. dicentis: « Non possumus reprehendere divini artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multo magis delectet illa venustas, quæ ad imaginem Dei intus est. »

PRO MERCATORE.

XXIII. Ex occasione thematis: *Negotiavini, usque dum venio.* Luc. XIX. proponi potest sequens epitaphium:

« Quid quæris viator.
Jam taberna clausa est.
Jam merces in cælum transmissa.
Tu quoque, si sapis,
Vitam tuam mundanis similem
Crede, et, dum tempus est,
Strenue negotiare. »

Circa quod duo præstari debent. 1º Ostendendum erit, quam bene vita nostra a S. Gregorio Nazianzeno et aliis Doctoribus mundanis comparata sit, cum vere et vita nostra perinde ut mundine, brevi tempore duret, et hoc ipsum tempus solum concessum sit ad merces comparandas; post illam vero taberna claudende sint, tempusque et occasio negotiandi cessaturum. Unde merito Christus dixit: *Negotiavini, usque dum venio.* Sed et S. Paulus ad Ebr. v. tam sollicite monet: « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes redimentes tempus. » 2º Ostendatur quam sedulo defunctus mercatoris non tam temporalis, quam spiritualis officium impleverit, mercesque optimas et selectissimas comparavit, nullam vitæ suæ partem sine fructu alire permittens, sed omnes et singulas actiones per intentionem, aliasque conditiones ad meritum præscriptas sedulo observans. Unde et Auditores ad imitationem illis Siracidis cap. IV. verbis excitari possunt: « Ne defrauderis a die hanc, et particula boni doni non te pretereat. » Et si difficilis videtur ejusmodi negotiatio, jubeantur mercatorum sæcularium industriam et patientiam ob oculos

ponere, illaque S. Augustini verba sibi applicare: « Potuerunt isti et isti ob temporale lucrum tanta ac talia agere ac pati, et tu ob æternum lucrum non poteris? »

PRO OPIFICE.

XXIV. Ex occasione thematis: *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare*, ECCL. IX. potest hoc epitaphium proponi:

« Sat laboratum est.
Amodo jam dicit Spiritus, ut
Requiescam a laboribus meis,
Opera enim mea sequuntur me.
Tu quoque, viator, si similem
Quietem desideras, similem
Laborem ne recusa. »

Circa quod ostendi imprimis potest, quid ad laborem utilem et meritorium requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, propter Deum, ejusque gloriam, ac cum debita diligentia peragatur, et quomodo hæc omnia accurate defunctus impleverit. 1º Pariter ostendatur, qualem requiem sibi invenerit, triplicem scilicet: 1º *Corporalem*; cum teste ECCL. c. v. *Dulcis sit somnus operanti*. 2º *Spiritualem*, dum per laborem otium, et cum eo vitia profligans, quietam et securam conscientiam, quæ est quasi jure convivium, et suavissimus somnus, acquisivit. 3º *Eternam*, quia post mortem verificabitur de illo quod S. David Ps. CXVII. dixit: « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. » Item illud Apoc. XIV. « Deati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. » Excitentur proinde Auditores, ut, cum et ipsi, teste Jon. c. v. ad laborem nati sint, et tempus ad operandum a Deo concessum breve sit, sibi supra citatam Siracidis sententiam applicent: « Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Nam, ut Basilus in REG. XXI. fus. recte advertit: « Qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, in die iudicii parem in laborando industriam reprobet. »

PRO RUSTICO.

XXV. Ex occasione thematis: *In sudore cultus tui cresceris pane tuo*. GEN. III. proponi poterit hoc epitaphium:

« Siste gradum, viator,
Et vide oculis tuis,
Quia modicum laboravi,
Et inveni mihi
Multam requiem.
Esto ergo et tu stabilis
Et abundans,
In opere Domini semper sciens,
Quia labor tuus
Non est inanis
Coram Domino. »

Circa quod imprimis ostendi potest, quam sedulus fuerit defunctus in laboribus suscipiendis et continuandis, ita ut cum veritate usurpare illud Psalmi LXXXVII. poterit: *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea*. Deinde vero ostendatur, quam magnam requiem invenerit, æternam scilicet felicitatem, cujus obtente sat clarum iudicium sit labor talis pro Deo liberet et constanter susceptus, eo quod Deus perinde se erga nos gerat, sicut Cato Romanus erga cives Romanos se gessisse memoratur, atque adeo sicut ille civem electurus, manus sibi ostendi jussit; et si quidem delicatas admodum esse deprehendit, ineptum pro cive judicavit; secus vero sensit, si manus labore attritas vidit; ita et ipse Deus eos potissimum in cives celestis Jerusalem admittat, quos manus attritas, id est, in laboribus pro Deo susceptis bene exercitatas habere advertit. Unde merito S. Paulus I. ad Cor. XV. hortatur: « Fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis coram Domino. » Id quod bene S. Arsenius agnovit. Hic, postquam diu in monasterio vixisset, rogatus, in qua re maxime confideret, respondit: « In eo, quod homines fugi, quod flevi, at in eo potissimum, quod laboravi, » et merito sane, nam Sancti viri, teste S. Gregorio in moral. « Quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis pignora intra speciei suæ cubiculum clausa tenent. » Quanta autem sit ista remuneratio, Deus in quodam Societatis nostræ coadjutore Murario ostendit, qui post mor-

tem P. Petro Scargæ Rectori Collegii Vilenensis totus splendidus, sed in manibus præcipue, apparens dixit, causam tanti splendoris esse, quod manibus illis specialiter pro Dei gloria laborasset. Sic nempe verificatur illud Sap. X. « Justum deduxit Dominus per vias rectas, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. » Excitentur ergo Auditores, et ut ipsi consilium Siracidis ECCL. VII. sequantur: « Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo; » nam, ut idem c. XL. ait: « Vita sibi sufficientis operarii condulcorabitur, et in ea inveniet thesaurum. »

PRO MENDICO.

XXVI. Ex occasione thematis: *Cæcus qui sedebat secus viam mendicans*: proponi poterit hoc epitaphium:

« Ein Bettler decket diese Erd,
Das Betteln hat er gewohnt:
Darum er auch jetzt Dullf begehrt,
Ach ihm sein Bitt helohnet! »

Circa quod 1º Ostendi potest, quam vere, defunctus, si forte in Purgatorio detineatur, cæcus dici queat, utpote a visione beatifica etiamnum exclusus atque adeo merito illud Tobie c. v. usurpare queat: « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? » et præterea etiam tam gravibus tormentis subjectus crucior. Deinde vero ostendatur, qualem elemosynam petat ab Auditoribus, scilicet ut precibus et Sacrificiis lectis vel auditis, aliisque similibus operibus eidem subveniant; quam æquum sit proinde, ut illi prompte et liberaliter petita elemosyna offeratur, cum plane omnes conditiones, ob quas alicui mendico libentius stips porrigitur, possideat; nam 1º est valde miserabilis, cum majores cruciatu, quam sint omnia hujus mundi tormenta, sustineat. 2º Est valde indigens; cum seipsum nulla ratione juvare queat, sed omnem suam fiduciam in hominibus positam habeat. 3º Est valde dignus, cum sit ab omni jam culpa liber, atque adeo sanctissimus, Deoque carissimus. 4º Est et gratissimus, cum agnoscat beneficii collati magnitudinem, utpote qui et gravitatem penarum in Purgatorio toleraturum expertus sit; et paulo post etiam visionis beatificæ dulcedinem sit expecturus, atque adeo non quieturus, donec

ipsos quoque suos benefactores et liberatores tum ab iisdem pœnis liberet; tum ad eandem felicitatem perveniant. Excitentur proin Auditores, ut dicant cum S. Bernardo s. de v. negot. « Surgam in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, improbo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si forte videat Dominus, et iudicet, et laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam; hic enim et hujusmodi officii potest earum miseria revelari, finire labor, destrui pœna. »

FONS VII.

Es emblematis.

Non minus copiosus fons iste est quam præcedentes, si Exhortator eum recte tractaverit. Consistit autem hic modus tractandi in eo fere, ut 1º Emblemata ipsam proponatur, dicendo vel quod majores nostri ejusmodi emblemata sepulchralibus marmoribus insculpere, vel appingere sint soliti; vel certe, quod ipse putet appingendum, incidendum. 2º Ostendatur, quam bene defuncto conveniat. 3º Occasio ad Auditores variis affectibus inflammandos desumenda.

Itaque I. Ex occasione thematis CANT. V. *Ego dormio, cor meum vigilat*, proponi posset hoc emblemata, et pingi leo apertis oculis dormiens cum inscriptione: *Dum dormit, vigilat*. Circa quod duo dici possent. 1º Ostendi, quod mortuus vere nunc dormiat, et quod mors somno plerumque comparetur. 2º Quod quoad animam vere vigilet oculos mentis in visione beatifica Dei occupatos atque defixos habens, aut certe brevi habitu- rous, cujus quidem probabilitatis, argumenta afferri possunt. Vid. Fab. in con. IX. num. I.

II. Ex occasione thematis: *Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum*. Jon. XIX. affingi potest sepulchro phœnix in suo proprio busto consumptus cum lemmate: *Evolabit*. Circa quod 1º Notari potest historia de phœnice, qui moriturus congregat ligna aromatica, et ex iis facta struce alis suis aerem percipit, donec ignem eliciat, struemque accendat; tum pectus rostro aperit, ut sanguis in ignem effluat. Ex quo postea novus phœnix enasci dicitur. 2º Applicetur hæc historia defuncto, intelligendo per ligna aromatica virtutes et opera: per ignem vero, charita-

tem; per sanguinem, mortem. Posset etiam loco thematis assumi hæc S. Jobi sententia xxx. cap. *In nidulo meo moriar, et sicut palma* (aliqui legunt, ut phoenix, quæ palmam et avem significat) *multiplicabo dies*. Vide Fabrum l. c. numero quinto :

III. Ex occasione thematis : *Fulgurunt iusti sicut sol*. MATTH. XXIII. Pingi posset sol ad occasum declinans cum lemmate : *Tegor, non obtenebror*. Circa quod dici posset. 1º Quomodo defunctus vere fuerit in vita soli similis, videlicet magnus in se, et parvus in oculis aliorum; aut parvus in sua, magnus in aliorum æstimatione: illuminans per doctrinam, calefaciens per amorem et exempla. 2º Quomodo nunc quidem per mortem occiderit aut eclipsatus sit, sed tamen in se antiquum splendorem et virtutem retineat, brevi etiam nobis oriturus; id est, in altera vita videndus.

IV. Ex occasione thematis : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. MATTH. VI. pingi posset cor in cuspidate erectum cum inscriptione : « Exquisivi te in toto corde meo. » Ps. cxviii. Circa quod dici posset, olim tale cor sepulchris appictum esse duas ob causas. Primo, ut significaretur prompta voluntas, et conformatio defuncti cum divina voluntate: item quod Deum toto corde dilexerit. 2º Ut indicaretur, quod, etsi a suis amicis abierit corpore, corde tamen apud ipsos mansurus, cordique eorum necessitates sit habiturus. Quare excitandi Auditores, ut credant sibi dictum a defuncto, quod olim Jehu ad Jonadab dixit. IV. REG. x. « Numquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo : da mihi manum, » id est, adjuva me nunc in necessitate mea.

V. Ex occasione thematis : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*. Ps. xxvii. pingi posset Rex splendide vestitus, cubito innitens et evigilans quasi, cum lemmate : *Somnia*. Circa quod duo inculcari possunt. 1º Quod ex omnibus mundi deficiis, et divitiis, et honoribus per se non plus habeatur in hora mortis, ac si somnium de illorum perceptione habitum fuisset, uti bene Plato indicavit cuiuspiam pro symbolo vocem *omnia* habenti : dum litteram S ad litteram O apponi jussit; ut *somnia* se habuisse intelligeret. Hunc in finem non incommode narrari posset historia de rustico jussu Philippi Regis Burgundi in regem transformato, et iterum

elapso die in fimetum abjecto. 2º Quotopere proinde veris gaudiis et bonis inherere ad exemplum defuncti debeamus.

VI. Ex occasione thematis : *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, et hominibus*. I. Cor. iv. Pingi potest quidam in medio theatri consistens et cortinam claudens, cum lemmate : *Peracta fabula est: laudite*. Circa quod 1º probari posset vitam nostram comœdiæ similem esse, juxta illud Epicteti : *Actorem te fabule esse. Qualis magistro probata fuerit, memento*. 2º Non referre quam personam, sed quam bene agamus. Quare ostendendum, quam bene defunctus suam personam sustinuerit. Vid. Drex. in prodr. cap. xxxi.

VII. Ex occasione thematis : *Vos estis lux mundi*. MATTH. v. pingi posset candela, quam manus emunctorum tenens extinguit, cum lemmate : *Eheu extincta est*. Circa quod imprimis probari posset, quomodo defunctus vere lux fuerit, vel sua urbis, vel domus, eamque purificaverit sua correctione: illustraverit suo exemplo et instructione: calefecerit et accenderit per suam charitatem. 2º Quanto cum dolore et damno suorum extincta sit hæc candela. Animandi tamen Auditores, ut credant de celo copiosius fulsuram, aliosque influxus communicaturam.

VIII. Ex occasione thematis : *Hæu, hæu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, spem posteritatis nostræ?* Tob. x. pingi posset baculus arundineus a morte contractus cum inscriptione : *Fragilis ne credite fulero*. Circa quod duo capita declarari possunt. 1º Quotopere parentes aut amici defunctum dilexerint, et quam merito spem conceperint, quod magnum aliquando domus suæ fulerum esset futurus. 2º Quam fragilia ejusmodi fulera sint, utpote de quibus merito dixerit Deus : « Ecce confidis super baculum arundineum contractum istum, cui si iniussus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam. » Isa. vi. Quamque adeo merito spes unica in Deo ponatur juxta consilium Davidis Ps. cxlv. *Nolite considerare in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus*.

IX. Ex occasione thematis : *Unus introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus*. SAR. VII. proponi potest hoc emblemata. Pingatur imago una mortualis centonibus, et purpura desuper vestita cum hoc lemmate : *Omnia mors æquat*: vel Germanice tali modo :

« Also der Tod macht arm, und reich, Bettler, und grosse Herren gleich. »

Circa quod duo præcipue inculcari debent. 1º *Mortis inevitabilis necessitas*. Nam sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, ita et per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 2º *Vanitas rerum mundanarum* per mortem detecta, cum omnes, sicut nudi egressi sumus de utero matris, ita nudi quoque recessuri simus, neque ullum amplius inter divites et pauperes, nisi meritorum discrimen sit futurum, uti quondam pulchre Diogenes Alexandro magno ostendit, dum stans apud æverum ossium eidem Alexandro, quid ageret sciscitanti, respondit se calvariam et ossa Philippi patris Alexandri quærere, nec reperire posse; unde Auditores ad merita agenda et comparanda incitantur.

X. Ex occasione thematis : *Appensus es in statera*. DAN. vi. pingi potest in emblemate : *Manus libram tenens*, cujus altera lanx, eaque multum depressior bona opera, altera altius elevata mala opera continet cum hæc inscriptione :

« Auf diese wohl gebrauchte Waag, leh jetzt all mein Vertrauen schlag. »

Circa quod duo inculcanda. 1º *Judicii extremi severitas* juxta illud Sophon. i. *Juxta est dies Domini magnus: juxta est velox nimis vox diei Domini amara, turpiter ibi evitabis fortis, eritque tui tribulatio magna*, teste Christo, MATTH. xxvii. *Qualis non fuit ab initio mundi*. 2º Ut mature studeant se ad hoc judicium preparare ad bonam vitam, seu legitimum libere, quæ justitiam Christianam denotat, usum, defuncti exemplo, cujus hæc in re studium proponendum.

XI. Ex occasione thematis : *Statutum est omnibus hominibus semel mori*. HEEN. ix. pingatur in emblemate mors medicum exhorto educens cum hoc lemmate : *Contra vim mortis, non est medicamen in hortis*, vel Germanice.

« Komm Doctor, du must nur mis mir. Jetzt kann kein Kraut mehr helfen dir. »

Circa quod duæ doctrinæ suggerendæ. 1º *Mortis inviolabilis lex*. Hic enim rectius, quam de statuto Medorum et Persarum di-

citur, quod non liceat immutare. Vid. Drex. in prodr. cap. I. § xxv. 2º *Mortis memoria* refricanda, et quemadmodum Seneca l. viii. Nat. suadet, cogitatione familiaris reddenda, ut, si ita sors tulerit, etiam obviare illi possimus. Vid. ib. § 26.

XII. Ex occasione thematis : *Tibi dabo claves regni caelorum*. MATTH. xvi. pingi potest in emblemate manus acum vel aliud opificis instrumentum tenens cum hoc lemmate : *Hæc calum aperit*. Circa quod duo probanda : 1º Omnes homines posse Dei cubicularios esse, et auream clavem charitatis a Deo acquirere cum Deus velit omnes salvos fieri, et ad hoc sufficientem gratiam concedat. 2º Clavem hanc non esse aliam, quam instrumenta, quibus quisque pro suo statu nititur, juxta Dei voluntatem et bene placitum usurpata, uti indicavit sartor ille ex Societate Jesu, qui circa agonem acum petens, et eam in altum elevans dixit : « En [fratres mei] : hæc clavis est, quam nunc mihi caelum aperituram spero, quia per illam opera ab obedientia præscripta ad Dei majorem gloriam accurate peragere studii. » Idem proinde quomodo defunctus præstiterit, erit demonstrandum.

XIII. Ex occasione thematis : *Ludens coram eo omni tempore*. PROV. viii. pingi potest in emblemate manus omnes lapides latruncolorum (*des Schachpiels*) in unam caspulam temere projiciens cum hoc lemmate : *Satis lusimus*. Circa quod duæ doctrinæ inculcanda. 1º Vitam humanam lusui latruncolorum similem esse, in quo rustici æque ac Rex et Regina, aliosque digniores calculi ad eundem finem tendunt, et juvant, et saepe plus præstat, et conducit ad lucrum ludi rusticus, si munere suo recte fungatur. 2º Post lusum finitum omnes homines promiscue a morte in urnam projici, neque ullum amplius aut Regis aut rustici discrimen esse, atque adeo quemque suo statu et loco contentum vivere, sicut totum arbitrio Sapientiae et Providentiæ divinæ in orbe hoc, ludenti nobiscum committere debere, uti defunctum fecisse ostendatur.

XIX. Ex occasione thematis : *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possimus*. I. TIM. vi. pingi potest in emblemate linteam in pertica suspensum. Quod Salatinus Turcarum Rex in exercitu post mortem suam circumferri jussit. Ut omnes agnoscerent, qui secum ex mundo hoc extulisset, adscribi potest hoc

lemma : *Vah ampla spolia mundi*, vel Germanice.

« O wohl der Welt ein grossen Lohn!
Ein kurtesz Leilich tragst darvon. »

Circa quod duo inculcati possunt : 1^o *Vanitas rerum mundanarum*, ad quod abundantius explicandum serviet parabola Barlaam de tribus amicis, quorum primus amicum a iudicio citatum per aliquod spatium comitatus : alter linteum aut indosium obtulit ; tertius autem, quem omnium minime amaverat, et sibi devincerat, ad ipsum usque iudicem secutus, potenter defendit, et hic bona opera et vitam, primus mundum, secundus cognatos denotat. 2^o *Soliditas bonorum operum*, ut quae sola post mortem auferre libet, id quod prudenter fecisse defunctum probandum est.

FONS VIII.

Ex sepulchro.

Ex hoc fonte licet rariores, vel ideo tamen utiliter conceptus erui possunt, quod sepulchra variis rebus comparari, et doctrinae inde deducta firmiter memoriae imprimi queant.

Haec I. Ex occasione thematis : *Apprehendam te, et ducam in domum matris meae, ibi me docebis.* CANT. VIII. sepulchrum scholae comparari potest, ut ait S. Chrysost. Hom. de fid. et leg. natur. « Ante portas sunt sepulchra, ante agros sunt sepulchra, ut ubique ante oculos esset humilitatis schola, et doceret nos in quod desinamus tandem, et videamus, qualia futura sint phantasmata. » Tria autem in hac schola potissimum discenda : 4^o Quid simus, nempe pulvis et umbra iuxta illud Ecclesiae : « Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Hanc doctrinam bene didici S. Franciscus Borgia ex funere Isabellae Reginae Hispaniae conversus, et dicere solitus : Augustus mors mihi vitam attulit. Recte ergo S. Bernardus in sententia dixit : « Tria haec semper in mente habeto. Quid fuisti, nempe sperma foetidum. Quid es, nempe vas stercoreum. Quid eris, videlicet esca vermium. » 2^o Quantilli simus, quod nempe ; ut S. Ambrosius l. de Naboth. c. 1. ait : « Cespes angustus aequo et pauperi abundet et diviti : et terra, quae viventes non cepit affectum,

totum jam divitem capiat. » Hinc egregie Philippus Imperator in hippodromo ex equo delapsus, cum impressam arena corporis sui figuram conspexisset, dixit : « Ecce quam exigua nos arena capiet, qui totius orbis imperium stulte affectamus. » 3^o Quid sint omnia mundana, nimirum vanitas vanitatum ; ita ut de illis dici possit, quod Daniel cap. ult. de statua Beli aurea destructa dixerat : Ecce quem colebatis. Ecce maxima vestra bona. Ita Christus MARC. XIII. « Videtis has omnes magnas aedificationes, non relinquetur hic lapis super lapidem, quin non destruat. » Vid. Fab. in conc. su. n. I. xxiii.

II. Ex occasione thematis : *Erat hortus, et in horto monumentum novum.* Jo. XIX. potest comparari cimiterium horto ob tres causas. 1^o Quia in cimiterio perinde ac in horto reperuntur multae areolae (*betellen*) sui lumuli, quos aliqui dicunt tumentes uteros esse. 2^o Quia in eodem etiam styli lignei cum notis, id est, cruce cum inscriptione reperuntur, ut dignoscatur, quisnam ibi sepultus sit, scilicet Christianus, characterem agni in fronte habens, ut eum Angelus a percussione servet. 3^o Quia ex cimiterio varii homines scilicet boni et mali olim resurgunt, et prodibant, velut in horto flores, et zizania nascuntur. Hinc Apostolus, I. Cor. xv. dixit : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. » Quare concludendum, quod, etsi defunctus probabiliter inter flores sit numerandus ; quia tamen etiam flores, ut cito nascuntur, et prodeant, irrigatione opus habent, ideo et ipse desideret, ut lacrymis, precibus, Sacrificiis, elemosynis, aliisque bonis operibus irrigetur. Vide Fab. con. II. funebri.

III. Ex occasione thematis : *Vocatus est ager Haeceladae, id est : Ager sanguinis.* MATTH. XXVII. potest cimiterium agro comparari (*einem Gotts Acker*), dicitque representatum jam olim per agrum illum, pro quo Christus est venditus, emptum ; idque ob tres causas. 1^o Quia in illum cadavera perinde ut semen resurrectionis jacuntur, teste S. Paulo I. Cor. xv. *Sic et resurrectio mortuorum* (intellige, erit sicut seminatio seminis) *seminatur in corruptione, surgit in incorruptione ; seminatur in ignominia, surgit in gloria.* 2^o Quia est ager filii iuxta illud Jen. xviii. *Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea.* Sed quae? *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.* Inde cavendum, ne in nos merito

dicitur illud Is. XIV. *Vae qui contradiit fictori suo de sanis terre. Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis?* 3^o Quia ager sanguinis, id est, pretioso Christi sanguine emptus, imo etiam irrigatus, ut frumentum electum ferat. Incitandi proinde Auditores, ut defuncti cadaver libenter in hunc agrum seminent, et lacrymis aliisque operibus rigent, memores, quod olim copiosum gaudiorum manipulum ex eo sint reportaturi juxta illud Ps. cxxv. *Euntes ibant, et scebant milites semina sua ; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Vid. Fab. conc. funebri III.

IV. Ex occasione thematis : *In tenebris stravi lectulum meum.* Jo. XVII. potest sepulchrum lectulum comparari ob sequentes causas. 1^o Quia in eo dormit, et requiescit defunctus juxta illud Christi : *Amicus noster Lazarus dormit.* Jo. 11. 2^o Quia ibi cessatur a laboribus, eo quod nox ingruerit, de qua Christus Jo. ix. dixit : *Venit nox quando nemo potest operari.* Et S. Joannes Aroc. xv. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur ; amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* 3^o Quia ibi exiit veste mortalitatis, ut indumento caelestis gloriae indui queat juxta illud S. Pauli I. Cor. xv. *Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Excitandus itaque Auditor, ut defuncto precetur voto et factoque quietam noctem, dicatque cum Ecclesia : Requiescat in pace.

V. Ex occasione thematis : *Hic est titulus monumenti Rachel.* GEN. XXV. vel *Posuerunt eum in monumento.* ACT. XIII. dici potest, cur sepulchra monumenta vocentur, nempe ob tres causas. 1^o Quia monument nos quid simus, et quid futuri simus ; nimirum quod simus, cinis et pulvis juxta illud Eccl. x. *Quid superbit terra et cinis?* Hinc Philippus Macedoniae Rex puerum sibi quotidie ter inclamare jussit : Philippe homo es. Sed et monet, quod erimus esca vermium, juxta illud Ps. xvii. *Job putredini dixi pater meus es, et soror mea vermium.* Nimirum continget, quod statum Nabuchodonosoris, quae ab unico lapide dejecta est, contritaque sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum et aurum, et redacta in favillam. 2^o Quia monet nos, quorsum tendant labores nostri, quod nimirum omnia sint vanitas, praeter amare Deum, et illi soli servire. Hinc Deus LEVIT. c. 1. jussit plumas avium immolandarum et vesicularum gutturis in locum cineris abjici, ut

ostenderet divitias et opes, et delicias ciborum, omnia tandem in pulvere et cinere cum cadavere perire. Hinc illi Sar. v. « Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. Quid nobis proffit superbia? Divitiarum jactantia, quod contuli nobis? Transierunt illa omnia tamquam umbra. » 3^o Quia monet nos, ut memores simus defunctorum, et non permittamus locum apud nos habere commune adagium : *ex oculis ex animo.* Hinc veteres sepulchris cordis figuram insculpere solebant, ut significarent se corde illis adhuc conjunctos esse, et in ultima necessitate non derelictos. Vid. Fab. conc. su. septima.

VI. Ex occasione thematis : *Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.* Jo. xxx. sepulchrum comparari potest domui ob tres causas. 1^o Quia ibi nati sumus, et est domus nostrae prospae, *das Stamm Hauss.* Nam formavit Deus hominem de pulvere terrae. GEN. 11. Hinc ab hoc fundo primus homo Adam ab Adama seu terra dicitur. 2^o Quia in hac domo habitare debemus usque ad diem iudicii juxta illud Ps. XLViii. *Et sepulchra eorum domus illorum in aeternum.* 3^o Quia in illo nobiscum habitat familia nostra tota. Hinc Hebraice domus Maehid, id est, congregationis vocatur, ut Jacob Patriarcha indicavit, dum GEN. XXXIX. dixit : *Ego congregor ad populum meum, sepelire me cum patribus meis.* Hinc etiam Deus LEVIT. c. XXV. legem statuit, ne terra venderetur in perpetuum (seu in proprietatem, ut Chaldaice textus ait) quia jure naturae est communis omnium Mater, ut concilium Tiburiense cap. XVI. asserit. Gratulandum ergo, quod in hac domo pacifice quiescere ei concessum sit, oplandumque, ut brevi in aliam domum non manufactam transferatur.

VII. Ex occasione thematis : *Dies mei pertransierunt sicut navis.* Jo. ix. sepulchrum telonio (*einem Zoll-Hauff*) comparari potest. Et 1^o dici, quod, ut Gregorius l. vi. Epist. 26. ait, sit naviganti similis, qui undique a fluctibus hujus calamitose vitae deprimatur ac impetitur. 2^o Quod telonium, ubi omnes vectigal pendere debemus, sit sepulchrum, ibi enim omnes implere debemus, quod S. Paulus HEBR. ix. dixit : *Statutum est omnibus semel mori, et post hoc iudicium.* 3^o Quod post hoc debitum solum tandem facultas excendendi ad portum concedatur. Quare excitentur Auditores, ut quoniam forte adhuc pars aliqua deest vectigalis persolvendi,

ipsum in eodem persolvendo juvare conentur, ut citius ad portum appellere possit. Vid. Fab. con. fun. vi. 2.

VIII. Ex occasione thematis: « *Ingradies in abundantia in sepulchrum. Sicut infertur acerous tritici in tempore suo.* Jon. v. comparari potest sepulchrum horreo, et 1º dici quod sicut triticum et palea simul in horreum portantur, ita et justi cum injustis in sepulchrum. 2º Quod tritentur a morte, quæ, sicut Job. xviii. dicitur, *Calcat super illos, quasi Rex interitus.* 3º Quod exultantur, et ventilentur a Deo, « Cujus ventilabrum est in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburent igne inextinguibili. » MAT. II. Excitentur proin Auditores, ut et ipsi ventilabrum in manus sumant, et paleas, si quæ adhuc defuncto conjunctæ sunt, excutere suis operibus studeant.

FONS IX.

Ex etate.

Hic fons, si xullis copiosissimam affert materiam pro exhortationibus, utpote, qui totidem particulares rivos, quot genera ætatis continet.

PRO INFANTE.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Videte, ne unum contemnatis ex his pusillis.* MAT. XVIII. dicendum, quod olim Thraces et Frausi vicini habuerint consuetudinem plorandi in nativitate infantis, et gaudendi in morte illius. Hanc autem multo magis in morte Catholicorum et Baptizatorum observandam esse, atque adeo ob tres causas gaudendum. 1º Quia certo Regnum cælorum possident; si ergo gauderent parentes et cognati, si forte Rex Hispanie aut Gallie Titium naturam ad se vocasset, atque in successorum Regni destinasset, etiam illum nunquam amplius viderent; quanto magis gaudere deberent, si eum a supremo Imperatore Deo vocatum, et Regem cæli constitutum esse credant? 2º Quia Deus ipse et Sancti, tum alii Cælestes gaudent summe de morte talis infantis, quatenus numerum Sanctorum Deum laudantium auctum advertunt. Annon ergo his potius, quam imperfectis hominibus de morte tristantibus

conformare nos decet? 3º Quia Deus magis illum diligit, quam parentes, magisque Patris nomen meretur, ut qui corpus et animam illi dederit; cum ergo haud dubie ideo mori, tam mature illum permisit, quia magis ad suam gloriam, et ipsius infantis bonum hanc mortem conducere advertit, cur non et parentes approbent hoc decretum, filioque majus bonum gratulentur, et gaudeant? Vid. Pist. *In dem allgemeinen Klaghaus* con. 1.

II. Ex occasione thematis: « *Placita erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* SAR. IV. afferi possunt causæ, cur Deus infantes immatura morte eripiat, quarum tres sunt potissime. 1º Propter bonum infantis, ut eum a gravius malis eriperet. Hanc rationem Salomon SAR. c. IV. indicavit, dum ait: « Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. » Sic Rebecca Jacobum mittebat alio, ne eum per insidias Esau amitteret. GEN. XLVI. Et Josaba filia Regis Joram furabatur Joam filium Ochosie, et occultabat, ne ab Atalia occideretur. IV. REG. I. 2º Propter bonum parentum; partim ut castigati propter peccata sua, quæ sepe ex occasione filiorum committunt, deinceps ab his desistant, sicut Davidem castigavit ereptione filii ex adulterio nati. II. REG. XII. et Valentem Imperatorem morte filii, quia eum hæreticos vocaverat: partim ne amore nimio liberorum ab amore Dei et salutis propriæ cura avocentur. Quam rationem S. Chrys. verbis his insinuat hom. VI. in Epist. ad Thess. « Quomodo non putas Deum irritari? Nam ob id ipsum pernuque filios aufert, ne ad illum modum illis alligatis, ut spem tuam ab eo auferas; remulor enim est Deus, et vult a nobis omnibus maxime diligere, idque ex ratione, quod tanto admodum vehementer amat. Propterea et Deus illum tibi abstulit. » Sic mariti mortem interpretata est Melania, quæ eo mortuo gratias Deo egit, et dixit: « Jam expeditis servitura sum tibi, Domine, quia tanto onere liberasti, » ut S. Hieronymus testatur AROC. XXV. 3º Propter bonum aliorum hominum; ut discant mortem timere. Si enim in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Sic filii David videntes Amanum a fratre Absalone occisum, omnes consenderunt mulos suos, et ad patrem fugerunt; sic et pulli gallinæ videntes unum ab accipitre abrep-

tum, sub matris alas confugiunt. Vide Pistor. conc. II. et Fab. conc. fu. xxxii. n. 3. 4. et 5.

III. Ex occasione thematis: *Melior est dies mortis die nativitatis.* ECCI. VI. ostendi potest, quam bene actum sit cum infante mortuo ob duplicem causam. Propter terminum, a quo discessit, scilicet a mundo, qui est miseriarum vallis et lacrymarum. Hinc et Plautus dicere solitus: quem Dii diligunt, adolescens moritur. Et Sylenus a Rege Mida interrogatus, quæ maxima esset hominis felicitas; respondit, nunquam natum esse, vel cito mori. Hinc et Jon. III. et Jeremias Cap. XX. maledixerunt diem, in qua nati sunt. 2º Propter terminum ad quem, scilicet propter beatitudinis possessionem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; de qua nunc infans securus est nec unquam redire cupit. Cur ergo et non parentes gaudeant, ibidem ipsum apulisse, quo ipsi venire tantopere desiderant?

IV. Ex occasione thematis: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* GEN. XXXVII. dici potest 1º Evenisse videri patri hujus infantis, quod Jacobo olim contigit, dum ille multo verius, quam iste dicere potest: « Pera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph » (id est, mors repentina, quæ Filium sustulit.) Descendam itaque lugens ad eum ad Infernum. Ostendatur subinde lugendi causa ex qualitatibus infantis. v. g. pulchritudine, amabilitate, integritate, etc. 2º Consolari poterit parentem dicendo venturum olim tempus, ut filium suum perinde ac Jacob suum Josephum recipiat, dicatque: *Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit, vadam et videbo eum.* GEN. XLV. Habeat proin patientiam, donec optatum tempus adveniat.

V. Ex occasione thematis: *Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille vero non revertetur ad me.* II. REG. XII. ostendi potest, quomodo se parentes genere debeant in liberorum morte. Et 1º quidem, quod cogitare debeant, quod sepe liberi propter ipsorum peccata in matrimonio commissa puniantur, sicut filium David propter adulterium cum Bersabea commissum punivit. 2º Quod possint merito dolorem concipere ob liberorum periculum, quia juxta commune proverbium: *Kinder kommen von Dertzen, und geben wieder zu Dertzen.* Atque adeo Deum pro salute eorum deprecari, sicut David deprecatus est pro parvulo, et jejunavit, et super terram jacuit.

3º Quod, si mortuus est filius, non debeant immodice lugere, sed divine ordinationi et voluntati se submittere, sperantes, quod aliquando sint ad ipsum venturi. Sic David post mortem Filii lotus et unctus est, ingressus est domum Dei, adoravit, venit in domum suam, petiit panem, consolatus est uxorem suam, et prudenter respondit mirantibus: *Nunc quia mortuus est, cur jejunem?*

VI. Ex occasione thematis: *Exaudivit Dominus vocem Elie, et reversa est anima pueri in eum, et revicit.* III. REG. XVII. ostendi potest, quod idem fere parentibus defuncti infantis contingat, quod scilicet gravissime sentiant filii mortem, et quodammodo querantur ad Deum: « Quid mihi et tibi, o Deus, nunquid ingressus es ad me, ut remunerarentur iniquitates meæ, et interfiores filium meum? » 2º Quod Christus post mortem in lectulo seu sepulchro eum posuerit, ibique trina vice expanserit se super puerum, quatenus ei assimilatus est, in utero per conceptionem, in vita per nativitatem, in morte per resurrectionem. 3º Quod anima hujus infantis suo tempore reversura sit ad corpus, ipseque a Christo restituendus sit matri suæ, dicendumque: *En vivit filius.*

PRO ADOLESCENTE.

VII. Ex occasione thematis: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* SAR. II. Vel *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est;* ibidem dici potest, quod infanti huic acciderit vere, quod Ganymedi olim contigisse falso et fictitie fabulæ narrat. Potes ergo comparari felicitas adolescentis hujus cum Ganymede ex triplici capite. 1º *Ex dignitate raptus;* cum ille raptus sit a Deo vero et summo Domino, ille a falso. 2º *Ex finis præstantia;* propter quem raptus est, non ut ministret, sed regnet; non ut pocula et epulas alteri porrigat, sed ipse fruatur, et gustet; non ut vultu suo Deum recreet, sed ipse Dei aspectu summe delectetur. 3º *Ex loci, ad quem raptus est, amoenitate et pulchritudine;* de quo dixit David Ps. LXXXII. « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; » unde inferendum, si olim Ganymedes beatus reputatus est ob talem raptum, et nemo non illi sortem suam, licet fictitiam gratulatus est; quanto magis conveniat tristitiam moderari